LAVRENTIVS BEYERLINCK
Archipresbyter Antuerpienſis
PROFECTIONIS MARCI ANTONII DE DOMINIS
quondam Archiepiſcopi Spalatenſis
CONSILIVM EXAMINAT.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthaſarem & Ioannem Moretos.
M. DC. XVII.

LAVRENTII BEYERLINCK,

Archipresbyteri Antuerpiensis

EXAMEN PROFECTIONIS M. ANTONII DE DOMINIS

quondam Archiepisc. Spalatensis.

PRODIIT his diebus ex Typographeio Hagiensi libellus, cuius frons ad omnem splendorem composita, Profectionis *Marci Antonij de Dominis*, Archiepiscopi Spalatensis, consilium proponit, & exponit. Hic vt in manus meas venit, tamquam ad res nouas concurrere animus, & inaudita percontari, sibique imprimere ignotum nobis Antistitem, Christianæ fidei deliquium, quod inaudiuimus nuper, apud remotissimas gentes veritatis propagandæ zelo restauran-

tem. Accessi, vt ad veritatem soleo, stabili pede: neque adspexisse satis erat, nisi & inspicerem penitiùs, & lustrarem non adyta solùm, sed quæ abdita insuper, fumum fucumque sermonis, &

Ignem suppositum cineri doloso.

Stupeo. Ecquid, inquio, Profectio hæc est, an Defectio? quis litterio hæc confundat, aut æquet? Hæreo: &, en de prædamnatitiis olim suscitari hæresin, tamquā Cerberum aliquem ab altissimis inferis, & excussa à veteri auenâ falsitatis semina rursùs Ecclesiæ Catholicæ agro è triuiis inspargi, inseri, superseminari subdolâ verborum viuacitate deprehendo. Video in ipso accessu, Episcopum, non qualem Timotheo præscripsit Gentium Doctor, sed reprehensibilem, domui suæ malè præpositum, arundine vento agitatâ mobiliorem: pastorem & idolum derelinquentem gregem suum: renatum à dubiâ sambuco Iudam, vt Dominum suum perfidorum manibus tradat, Apostolico-

rum

rum virorum collegio ſponte ſe abdicantem, &ex felici Chriſtianæ diſciplinæ gremio ad peſtilentiæ cathedram,

Et penitus toto diuiſos orbe Britannos,
profugientem : atque hinc velut mediis in vndis tranquillum, Apoſtolicæ Sedis primatum, ipſamq́ue Eccleſiam ſupra petram ædificatam, delirantis cerebri cauillationibus iam olim protritis profligatisq́; maledicè proſcindentem. An ergo poſt tot ſæcula rurſus egreſſâ à ſenibus iniquitate proſtituetur Suſannæ innocentia ? & committemus, vt ſexaginta propè annorum verendus aliquando Antiſtes, perſonatâ abdicatæ functionis maieſtate, in beneficam Matrem iniurius, eam laceret, rodat, exedat? collectaq́ue adulteratarum Scripturarum, Veterumq́ue compendia fronte meretriciâ obtrudat iis, qui Malchi inſtar dextrâ aure abſciſsâ, ſiniſtram ad omnem falſitatis ſonitum aperiunt?

Igitur non abs re futurum exiſtimaui, ſi Presbyter Epiſcopo, Archipresbyter

Archiepiſcopo,quia reprehenſibilis eſt, in facie reſiſterem: & è caſtris Philiſthinorum viuentis Dei agminibus exprobrantem Dalmaticum Goliath, omni dolo plenum, iuuenis atque inermis ſolâ veritatis fundâ, quam angularis Eccleſiæ lapis oneret, primus adorirer; eiúſque conſilium à patre mendacij, nequitiæ ſpiritu, ſub vitæ occaſum (quo iuxta Clementis Alexandrini monitum, ſalutis initium ſuſcipiendum fuerat) ſuggillatum, tam improbæ defectionis, à pleriſque qui genium ingeniúmque viri intus & in cute olim nouerant prænuntiatæ, ad examen velut nouam incudem reuocarem.

In Protreptico.

Multa ſanè iuſtæ indignationis dolor animo proponebat, quæ opportunè in medium adduci poterant, imò debebant: verùm ab iis omnibus mentem & manum temperaui, calamumque ad eruendas infamis fugæ cauſas in Dalmatiam properantem retardaui, ne potiùs obtrectationis iniurioſę

reus,

reus, quàm zelosus veritatis assertor fierem. Quippe hæreticis ceu proprium adscribit in Epistolis Augustinus, *hominum crimina colligendo, abscessionis suæ causam defendere: cumque ipsam diuinæ Scripturæ veritatem, qua vbique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare nequeant, homines per quos prædicatur, in odium adducere, & de iis quidquid in mentem venerit, fingere.* Epist.137 Quibus perquam simillimus *Marcus Antonius de Dominis*, non alio colore hanc apostasiæ infamiam depingit, quàm qui ex resumpto veterum hæresiarcharum vomitu coaluit. Vnde & Romani Pontificis maiestatem, ceu fictam & fastuosam; eiusque regimē, vt turbidum, violentum, noxium; iudicium, tamquam inutile, erroneum, mendax traducit: & *dilatat sicut infernus os suum*, dum inflatis arrogantiæ buccis, quasi hactenus non satis augustum perfidiæ & vocifragio trophæum erexerit, compilatas suffocatorum prioribus sæculis errorum

lacinias, quibus & ſuos auerſis Doctorum Eccleſiæ veſtigiis ſtabiliat firmetque, velut nouas Acheronticæ turbæ aquilas, decem ſe libris propediem erecturum promittit. At

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Non erit nouo Hercule opus, qui monſtra illa feriat toties proſtrata: poterit quiuis tandem è grege fidei ſcuto munitus, detegere comparata ad fraudem patrocinia Scripturarum & rationum, & deſpumato ſtomacho digerere coctam toties & recoctam, longoque pædore obſitam cramben, quam inconditus hic hoſpes poſtliminiò apponet, ex turbidis Lemanici etiam lacus gurgitibus, quibus incautus immergitur, confarcinatam.

Igitur ſtudio à me prætermittentur, quæ iam pridem de hoc ſene fama vulgauit: neque enim curioſus indagator exiſtam,

existam, quis de eo aut sermo, aut sensus. Satis fuerit propriâ confessione reum constitui, quando & per Nuntium Apostolicum Venetiis commorantem non semel monitum correptumque se, suppressâ tamen vllius rei culpâ, prædicat, tam sciri & æstimari auidus, quàm qui Ephesino delubro faces olim subiecerat. atque adeò illi non satis visum

Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ simul intus
Innata est, rupto iecore, exierit caprificus.

Quasi pro nihilo ducatur, si à superiore Legato Archiepiscopus crediti muneris admonetur, & ob repetitam sæpiùs culpam iterùm atq; iterùm corripitur: cùm aduersus Presbyterum Apostolici præcepti tenax Ecclesia accusationem non temerè recipiat, atque sacrorum Canonum decreto, *Præsul non damnetur nisi septuaginta duobus testibus: eò quòd tales in Ecclesiá institui debeant, quorum sanctitati plus credatur, quàm multis testibus.* 1. Tim. 5. Cap. Præsul.

bus. Diſſimulauerit quidem, vt molliùs cum Antiſtite,eoque Primate,ageretur, Illuſtriſſimus Nuntius, vincula compedeſque & meritos carceres non adhibuerit, peccati ſcelerúmve emendationem longâ bonitate exſpectans; quod quæſo innocentiæ ſuæ præſidium infert ille præter turpem fugam, quam ſibi cum mortalium omnium nequiſſimis communem voluit, parem cum iiſdem gloriam conſecuturus? Stabilis eſt innocentia,non metuit vincula,non horret lictores, Iudicis vultum ſuſtinet, ridet famæ mendacia: omnemque calumniæ triſtitiam mens recti conſcia diſcutit, *quam qui Deo obtulerit, ſatis piè religioſeque litauit.* Portentoſa illa integritas, quam fuga adornat, quam nocentes tuentur.

Lactant. lib. 6. diuin. Inſtitut.

Fontem omnis hæreſis (idem de apoſtaſiâ cenſe, quæ illius comes) ſuperbiam dixit B. Auguſtinus: quâ, teſte Cypriano, *vinculum pacis rumpitur, charitas fraterna violatur, adulteratur veritas,*

Contra epiſt. fundam. c. 6.

Serm. de zelo & liuore.

tas, ſcinditur vnitas, ad hæreſes & ſchiſmata proſilitur. Ab hac ſcaturigine noui ſcelerum, vtputa auaritiæ, ambitionis, libidinis riui erumpunt, ad quos ceu infames quoſdam ſcopulos fides alliditur, dum eos auidè conſectantur, quĩbus vna cura, ne dicam voluptas, inconſutilem Chriſti tunicam ſcindere. Hæreſim numquam primum peccatum, ſed grauioris peccati pœnam docent veterum Annales. Nec eſt quòd ad veteres prouocemus, in foribus ſunt qui id clament, quorum ruinam vitæ anteactæ corruptela expreſſit priùs quã dedit, quique etiam mox fugâ elapſi, ne de libidine ſuâ cogantur erubeſcere, publicam ac receptam Eccleſiæ doctrinam, quâ ceu ſpeculo redarguuntur innata in eis vitiorum ſarmenta, pro arbitratu ſuo reiiciunt; &, vt verba D. Auguſtini vſurpem, *auctoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ, quaſi rationis nomine & pollicitationis ſuperare* omni molimine contendunt. hinc adamantina Epiſt. 56.

tina aliàs votorum vincula quouis vitro fragiliora, imò impia, crudelia, ſatanica. Falſa omnia quæ Religio Chriſtiana de peccati conſcientiâ & horrore proponit. Poteſtas denique in Eccleſiâ docendi, interpretandi, monendi, non aliâ, quàm quæ in ſingulis ſedet, interioris ſpiritus, qui plerumque ſpiritus eſt fornicationis, reuelatione ſtabilita.

1.Cor.2. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*: cuius vnitas eſt in vinculo pacis, quod carnales illi violant, ab omni charitate, adeoq́ue virtute, cuius illa eſt radix, alieni. Sic enim poſt B. Cyprianũ in lib. De vnitate Eccleſiæ, grauiter & verè ſcripſit iteratò repetendus

Lib. De verâ Reli. cap. 8. Auguſtinus, *Ex his hominibus hæreticos* (apoſtatas, ſchiſmaticos) *fieri, qui ſi eſſent in Eccleſiâ, nihilominùs perirent. Si*

1.Ioan.2. namque *fuiſſent ex nobis*, vt dilectus Chriſti diſcipulus ait, *manſiſſent vtique nobiſcum.* Neque enim qui ſupra petram & Chriſti amorem, ſed qui ſuper arenam & caducarum rerum voluptatem

tem domum suam ædificauit, irruente procellâ damnum sustinuit, *factaque est ruina illius magna.* Solida grana nullus doctrinæ turbo attollit, leues paleæ sunt quæ circumaguntur. Virtutum Regina est Constantia: cuius in rebus humanis vnum opus est, non moueri. Ab hac profugus *M. Antonius de Dominis*, suorum & maximè domesticorum curam exuit, & apud illos perfidiæ suæ latebras quæsiuit, quibus non ad cōtemptum modò, sed necem insuper & barbaros cruciatus satis est, Deo esse consecratum. Cumque vel maximè linguam suam acuat, vt Romanæ Ecclesiæ, quam Ecclesiarum omniumque fidelium matrem non semel professus est, Monarchiam proscindat proteratque, ad illos indelebili fugæ notâ primum dilapsus est, quorum bona pars eamdem non ita pridem in optimatibus plerisque adeò firmâ impietatis peruicaciâ constituerunt, vt si quis negat aut abnuit, Ecclesiæ communione Luc. 6.

ne arcendus, claſſicâ Antichriſtiani conciliabuli definitione pronuntietur. Ex quo improbitatis ſemente, quanta iniuriarum meſſis vſque in hunc diem! Verendum ſanè, ne & profugam ceruicem vacillantis Epiſcopi demetat aliquando Monarchica quædam ſecuris, ſi diuerſum à vulgo ſentiat; vel vt minùs., dum fugæ præſidio nouos honores, ſtipendiaque lautiora inuenire ſatagit, chamæleontem ementito palpationis fuco, & aſſumptis nouorum dogmatum coloribus exprimat; quoque nullum ambiguitati locum relinquat, portentoſo aliquo iuramento per fas nefaſque vltrò ſe obſtringat. Sunt etenim enormium criminum foſſæ ſibi inuicem ſubordinatæ, vt ex vnâ in aliam ſucceſſiuo lapſu deſcendatur: Deoque proprium eſt, perditam aliquamdiu vitam, in his præſertim quorum lucem coram hominibus lucere oportuerat, veritatis & fidei lucernâ deſtituere, perditoſque homines *in deſideria*

Rom. 1.

deria cordis eorum, *passiones ignominiæ*, *&* *reprobum sensum* tradere.

Venio nunc ad fucum scopumque fugæ. & hic quidem mihi collimandus, ille detegendus. Scopum proponit bonæ ædificationis fructum in piis multorũ animis, quem ex profectionis suæ consilio accepturi sunt. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Matth. 7. Bona ædificatio idoneam membrorum compagem, qualis illa ex quâ corpus Ecclesiæ compactum est, postulat; inutilia sunt sarmenta quæ à radice præscinduntur *ad circumuentionem erroris*, vt in spirituali ædificio vigorem præstent aut firmitatem. *Veritatem facientes in charitate*, Ephes. 4. monita sunt Doctoris Gentium, *crescamus in illo per omnia qui est caput Christus*, *ex quo totum corpus* (Ecclesiæ) *compactum*, &c. *augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* En coagulum Christiani ædificij, & velut animam, charitatem. hanc non habet, qui Ecclesiæ vnitatem non

amat.

amat. Non vides, si pes luxetur, & à iuncturâ abeat, totum corpus infirmari? ita nulla firmitas quamuis promissa, piorum animis speranda vel expectanda, si quis gradu aut munere relicto aliud inuadat, & ab illâ se segregat societate, quæ *per sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum, certâ per orbem propagatione diffunditur.* Tenent pij omnes hereditatem Christi, hanc venerantur, huic seruiunt: de hac omnes, qui Ecclesiam Romanam profitemur vnicam salutis anchoram, securi sumus; *cuius vnitati qui non communicat*, doctissimi Augustini iudicio, *foras exijt.* Neque quòd decennali deliberatione instructa hæc fuga, radicatam in Christianâ fide mentem quatiet. Nam vt in corpore tabes alitur, & per membra serpit donec vniuersum occupet: sic non nisi per vitiorum semitas deuenitur ad omnium malorum compendium, & velut alteram Pandoram, hæresim seu apostasiam. nemo enim

enim derepentè nequissimus euadit, sed per gradus; quamuis animus semel prauâ voluntate vitiatus ægrè coërceri queat,

Si modò culturæ patientem deneget aurem.

Iam quòd in studiis sacris iuxta Romanæ Sedis placita fuerit à puero in Societate IESV enutritus, & non in vnâ cathedrâ constitutus professor, tandemque ad Episcopatum, Patribus Societatis id ægrè ferentibus, euectus, haud quidquam momenti ad persuadendum habet, quamuis Scripturarum flosculis tanti lapsus ruinam velare contendat, & erroris simulacrum erigat, vt illius adoratione rudiores illaqueet. Norunt quippe omnes queis vel mica salis in pectore, in eodem reti bonos & malos pisces concludi: vnam aream granum continere & paleas: munda pariter atque immunda animalia recepisse operosam illam Arcam: adeoque nihil omni ex parte beatum quoad

hîc viuimus, vt nulla ſit tam exigua ſocietas, quam non aliquis Dauus lancinet aut commoueat. Nónne de Apo-
Actor. 1. ſtolatu præuaricatus Iudas, *ſuſpenſus*
Iob 4. *crepuit medius?* & *qui ſeruiunt* Deo *non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* Duxerat eius vultum ſub ſuo pollice Societas, cui ſe à puero ſuppoſuerat, mentemque variâ diſciplinarum ſupellectili inſtruxerat, quando & erumpentes ambitioſæ vanitatis igniculos, periti ingeniorum æſtimatores velut indices ſubſecutæ turpitudinis, taciti ſecum conſiderabant. vnde & meritò verebantur, quod non inopinatò euenit, vt ad altiora honorum culmina euectus ille inſolentis fortunæ & blandientis luxuriæ fræuos cohibere negligeret, ob eamque cauſam ei ſatius fore perſpicerent, ſi in humili Societate abiectus coram hominibus detineretur, quàm vt ſolutis obedientiæ clathris præeſſet, qui ſubeſſe nondum perfectè didicerat.

Ad

Ad eruditionem quod attinet, & in rebus gerendis experientiam, si ea talis, qualem de semet ipse prædicat, insonare debuisset assiduè auribus illud Apostolicum: *Noli altum sapere, sed time.* Rom. 12. & rursus: *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam exspectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Heb. 10. Nihil æquè familiare his qui Ecclesiæ gremio suâ sponte excidunt, ac præsumptio & tumor mentis. hæc apostatarũ omnium notissima est nota, quam nouitius hic fœtus passim etiam sibi vendicat, dum intrare contendit, vbi alios cecidisse videt: nec se eripit procellis, quæ tam multos obruerunt. Sunt enim vastissima diuinorum eloquiorum æquora, quibus se nullo duce aut præpete immergunt omnes, imò irruunt, *& sine præceptore*, quod in Honorato grauiter reprehendit S. Augustinus, *audent ferre sententiam.* De vtilit. credendi cap. 7. Cùm tamen,

Tract. 18. in Ioan. men, eodem teste, *non aliunde emerserunt dogmata peruersitatis illaqueantia animas, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè; & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Huius autem temeritatis & audaciæ architectus est proprius spiritus, quem quisque sibi affingit: cuius igniculos sensisse se fatetur, etiam priusquam in Theologiæ studio adolesceret, (quod tamen numquam in eo euenisse, nuperum scriptum longè à genuino Theologiæ sensu alienum loquitur) fugax Archiepiscopus. Debueras, & etiámnum debes, da veniam si te compello, *captiuare intellectum in obsequium Christi.* Nempe totius Religionis fundamentum est obedientia; *veráque Religio*, vt eleganter Tertullianus, *dubitabilis non est, imò nec disputabilis.* In Præscript. *Sola hæresis obedientiam tollit, & quidquid animo errante cum superbiá vel tumore cogitando imaginata fuerit, religionis nomine obseruat.* Quod de suo tempore S. Hilarius scri-

ſcripſit, idem nobis hoc ipſo ſentire liceat; *tot* ſcilicet *nunc fides exiſtere, quot voluntates: tot nobis doctrinas eſſe, quot mores.* quaſi extra Eccleſiam illius director ſpiritus inueniatur, cùm qui *ſeipſos ſegregant, Spiritum Dei non habeant.* vnde Auguſtinus: *Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti. Quia qui ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius: ſi non eſt membrum eius, non vegetatur Spiritu eius. Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.*

Lib. ad Conſtant. Imp.

In Euangel. Ioan. Tract. 27.

Rom. 8.

Certè vel vnicum hoc eruditiſſimi eiuſdem Doctoris pronuntiatũ, quod paulò antè adduximus, in tuâ defectione nos omnes ſolatur; *Ex his hominibus hæreticos* (& apoſtatas) *fieri, qui etiam ſi eſſent in Eccleſiâ, nihilominùs perirent.* Non ergo quòd inter bonos benè enutritus, ——— *fronte politâ*

Lib. de vera Relig. cap 8.

Aſtutam vapido ſeruas ſub pectore vulpem,

quæ Chriſtianos pullos ſolicitæ Matris

alis excutiat: non quòd è Rhetorum ſcholis verboſus prodieris Sophiſta: non quòd Mathematicas diſciplinas cum applauſu profeſſus à ſalutis tramite deuies, & vt tecum deuient tuæ farinæ plerique, adlabores: nec quòd Epiſcopus & Paſtor, cuius erat, exemplo vnici Paſtoris animam pro ouibus ponere, & anathema eſſe pro fratribus cum Doctore Gentium, creditum tibi gregem clanculùm malè tibi conſcius derelinquis, & ſenectutis tuæ verendam canitiem plumeâ leuitate cõſpurcas; quidquam mutationis in Catholicorum pectoribus intulit, aut quemquam à conſtantiâ dimouit: quin potiùs ruina tua nos docet, neminem ſic de perfectione ſuâ eſſe ſecurum, quem
1.Cor.10. non deceat eſſe de caſu ſolicitum. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*, monet B. Apoſtolus. *Aſſumendi ſunt magnorum virorum lapſus, vt ſe nequaquam rectè ſuis factis iactare quis audeat*, inquit inter alia Chriſtianæ doctrinæ præcepta Auguſtinus,

ſtinus, *cùm videat tantorum virorum & cauendas tempeſtates*, *& flenda naufragia. Ad hoc peccata illorum hominum* (agit autem de Saule, Salomone, Origene, Tertulliano, &c. qui velut duces tui naufragij, vt tandem ſecuritatis oram portumque ineas, viam aperiunt) *ſunt ſcripta, vt Apoſtolica illa ſententia vbique tremenda ſit, quâ ait: Quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat.* Euolue monumenta antiquitatis, & reperies Arrianam hæreſim ita olim vniuerſum orbem occupaſſe, vt ſcribat B. Hieronymus, *totum orbem ingemuiſſe, & ſe Arrianum miratum eſſe.* Pauciſſimi toto Oriente Epiſcopi qui Catholicam fidem aſſererent, & ij quidem ſedibus pulſi, proſcripti, profligati. Quid igitur moueat aut teneat Eccleſiæ filios, ſi hac etiam ætate à nobis, *in quos fines ſæculorum deuenerunt*, Epiſcopus abeat? & Æſopici ſerpentis inſtar aſſurgat in ſinum qui eum excepit, enutriuit, fouit? Abierit ſanè ille in conſilio impiorum,

Dial. aduerſ. Luciferian.

abiit ante eum vniuersus pænè Oriens sæculis prioribus: & hoc nostro etiam, manifesta adhuc muliebris rotæ vestigia cernimus, quæ Gebhardũ Thruchsesium Coloniensium Metropolitam augustissimo Ecclesiæ candelabro præcipitem egit. quâ tamen tempestate nullus fluctuauit, quem Christianæ petræ immobilis firmitas solidauerat. Sciunt Catholici, in Ecclesiâ Christi sessurum Antichristum: non ignorant surrecturos pseudoprophetas & pseudochristos, *qui seducent multos, & in errorem ducent, si fieri potest, etiam electos. In nouissimis diebus discedent qui-*
1.Tim.4. *dam à fide*, inquit D. Paulus, *intendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam*, nempe ob infamis vitæ dedecora, & peruersę voluntatis mutabilitatem, *habentes conscientiam.* Nusquam autem noui Prophetę, Doctores, Reformatores prędicuntur, sed pseudoprophetæ, illusores, magistri erro-

erroris, *homines ſeipſos amantes*, *cupidi*, 2.Tim. 1.
elati, *ſuperbi*, *blaſphemi*, *parentibus* (quo nomine Superiores legitimos accipimus) *non obedientes*, *ingrati*, *ſceleſti*, *ſine affectione*, &c. Itaque tantum abeſt vt emortuam, vel latentem veritatem, quod facturum te polliceris, ad lucem proferas, ſchiſmatumque extinguendorum & vnitatis Eccleſiaſticæ reſarciendæ iter communias, vt potiùs eam per verborum pugnas deprꝗues & obnubiles, atque Herodianâ malitiâ naſcentem Religionẽ necdum ſatis adultis pectoribus euellas, & proteras, omnemque ad fidei vnitatem aditum præcludas. Verùm quemadmodum illuſtrius ab igne aurum exit, ita ab erroribus veritas: cui eam vim ineſſe ſentit Hilarius, vt *cùm per ſe intelligi non poſsit*, Lib.7. de Trinit.
per ea ipſa tamẽ quæ ei aduerſantur eluceat; *vt naturâ ſuâ immobilis manens*, *firmitatem naturæ ſuæ quotidie dum attentatur*, *acquirat*. Præclarè & verè Cyprianus, quem vtinam hîc etiam purgatâ aure

audires!& vt Catholici omnes audiant, hortor: *Non nos moueat aut turbet*, inquit, *multorum nimia & abrupta perfidia, ſed potiùs fidem noſtram prænuntiatæ rei veritas corroboret: vt quoniam quidam tales eſſe cœperunt, quia hæc antè prædicta ſunt; ita ceteri fratres ab eiuſmodi caueant, quia & hæc antè prædicta ſunt, inſtruente Domino & dicente: Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia.*

De vnitate Eccleſ.

Tandem à ſcopo ad fucum & phaleras quibus mutationem ſuam adornat *M. Antonius*, dirigendus eſt calamus. & quoniam ad veterum Eccleſiæ Doctorum, omiſſis turbidis riuulis, limpidiſſimos fontes me ducit, quos tardiùs & in hoc ætatis delirio, vix antè libatos, deguſtaſſe ſe, (cuius haud alium teſtem inquirimus, præter ipſam ſcriptionem quam expugnamus) affirmat, non propriè mea, leuiaque proponam, ſed quæ ab iiſdem ipſis nonnumquam, dum ab occupationibus ferior, hauſi: quorum luce caligo omnis,

nis, & errorum nubes detersa veritati victas manus dabit, & inclamabit illud Esdræ: *Magna est veritas, & præualet.* Lib. 3. c. 3 Solent qui amara propinant, melle poculum illinere: & vt pisces fallat, hamo escam piscator occultat: ad eum modum iste, vt imperitos illaqueet, adfert quæ lectorem demulceant. quippe curiosum genus hominum auidè se extendit ad aliena & noua. vnde non inutiliter, libros omnes qui doctrinam receptæ aliàs ab Ecclesiâ doctrinæ aduersantem tradunt, tanto rigore diligentiaque Catholicorum manibus excutiendos Summi Pontifices censuerunt, ne dum incauti latentia venena non vident, falsitatem imbibant, quam mox propositâ vitæ licentiâ numquam euomant. Et hæc vna res tot Conciliorum decretis stabilita, tot Pontificum auctoritate fulta, huic ad fugam ab Ecclesiâ capessendam, portam aperuit, suspicionem mouit, auxit, quòd talium librorum copia sibi etiam post peracta,

vt

vt ſcribit, plenè Theologica ſtudia, & aſſumptos in iis gradus, poſt promotionem ad Epiſcopatum, non permitteretur. Quæ verò eſt ea temeritas, vt quod à primæuo tempore à beatiſſimis Patribus conſtitutum eſt, vnus homo blaſphemare, proiicere, ac ſufflare præſumat, denteſque acuere in receptiſſima Eccleſiæ decreta? Arrianorum ſcriptas inſanias ne quis legeret, non modò vetuit, ſed ignibus inſuper tradi iuſſit
Lib. 8. cap. 18. Synodus Nicæna, auctore Nicephoro. Cui ſententiæ ita promptè ſubſcripſit Magnus Orientis Imperator Conſtantinus, vt eos qui obſiſterent, libroſque à Concilio vetitos occultarent, extremo ſupplicio damnarit. Etiam Marcellinum Ancyranum, quòd excitatæ à ſe hæreſis compendia in volumen redacta, Vulcano ceu victimam offerre abnueret, capitis condemnatum memo-
Lib. 1. cap. 14. rat Socrates. Sunt namque omnes hæreticorum libri, iudicio Gregorij Na-
Orat. 2. de Fide. zianzeni, *tamquam aſpidum oua, aſpidas*

&

& basiliscos procreare nata. qui vbi cùm indefesso studio fuerint perlecti, nihil pręter inanem sonum & sermonis strepitum, imbremque errorum eructant: dumque aures modulatione promissæ libertatis capiunt, pectoris interna plerumque deuinciunt. Hinc Ethnici, naturâ duce, Protagoræ athei libros publico foro exussêre; alios Religionem eneruantes, Romani & Lacedæmones; quòd per copiam blandientis eloquentiæ sensim irrepere nocentis doctrinæ cœnum intelligerent. Liceat mihi vsurpare hoc loco illud Maronis, Philostr. in Sophis. Liuius lib. 10.

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herbâ.

& ita facere conuenit omnem illum, qui tamquam paruulus Ecclesiam Matrem agnoscit. Non est cuiusuis è mediis spinis rosam carpere, aut inter adulterina metalla segregare quod purius est; sed eorum, *qui*, vt Apostolus lo- Hebr. 5.

qui-

quitur, *exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* Præſumptuoſi tumoris ſoboles eſt, velle in luto quærere puritatem, & incalceatum per ſpineta ſine læſione incedere, atque *deſiderare de cibis illius* (quod ne committamus vetat Sapiens) *in quo eſt panis*, hoc eſt doctrina, *mendacij*, & non decipi. Epiſt.93. Benè D. Leo: *Nemo hoc impunè præſumat, nec inter Catholicos cenſeatur, quiſquis ſcripturis vtitur ab Eccleſiâ Catholicâ damnatis.* Quæ ergo tua vanitas & elatio eſt, *Marce Antoni*, quòd vnde alij firmitatem & prudentiam, inde tu iniquam ſuſpicionem augeas, & infirmitatis tuæ fulcimen accumules? Doces memorabili exemplo, quod non ſine animi dolore à te memor poſteritas per manus tradet, quàm pernicioſa ſint hæreſium ſemina libris inſparſa, vt quæ tam mortifero veneno ſenſim affectum tuum imbuerunt, vt velut nouâ libidine incenſus ea appetiueris, quæ priùs ceu monſtra quædam è medio Erebo pro-

prognata auersabaris; vinoque erroris quod in iis propinatur ebrius, ad noua dogmata te conuerteris, atq; ex magistro veritatis, tandem euaseris discipulus erroris. Vtilius tibi fuerat illorum scriptis animum intendere, quorum lectione nutans tua instabilitas iustitiæ ac virtutum incrementum accepisset. Didicisses profectò ex his, qualem oporteat esse Episcopum: nempe *irreprehensibilem*, hoc est quem non modò culpa non inquinat, sed virtus exornat: *sobrium*, quia cùm Dominici gregis speculator constitutus sit, agnoscere debet vultum pecoris sui, ouiumque saluti indefessâ curâ inuigilare; quod ventri deditus numquam præstiterit: *ornatum*, quem conueniat (vt nominis huius etymon Cicero exponit) decorum seruare in motu, incessu, habitu, & sermone: *pudicum*, *Doctorem*, *modestum*; & nonnulla his affinia, de quibus Timotheum suum instruit Gentium Doctor. Intellexisses vitium in

In Apol. Episcopo reputare Nazianzenum, *non quàm optimum esse*: tantamque in eo virtutis gloriá requirere Chrysostomum, Hom. 10. in Epist. ad Tim. *vt instar solis, ceteros velut stellas suo fulgore obscuret.* Expressisses in te veri Præsulis normam, quam Eugenio Pontifici olim mellifluus Bernardus præscripserat; & considerasses (verba illius adducam) *oportere te esse formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, Fidei defensorem, Christianorum ducem, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, salem terræ, orbis lumen*, &c. Eduxissent te ceu Abrahæ filium de Vr Chaldæorum illi ipsi, & meliori fide doctrinam & negotia Christi obire, quæ eminùs solùm perspexeras, docuissent. Vidisses in eis ceu speculo quodam polito corruptos tuos mores, quorum consideratio magnos plerosque viros mouit, vt defectionis secutæ fœtorem præsentirent, & non rarò sub verborum inuolucris impendentem tibi ruinam suggererent. Denique

nique ſine offendiculo, & velut ad lucidiſſimam facem perſpexiſſes, quòd non diuini, ſed nequitiæ ſpiritus impulſu vehementiore terram tuam exire iuſſus, non veritati, ſed mendacio; non Deo, ſed carni, mundo, ſatanæ obſecutus, eò nauigium appuleris, vbi certum ſaluti tuæ naufragium, ni ocyùs emerſeris, expectandum. Verùm quemadmodum febricitantes circa ciborum ſapores nauſeant, & imperiti pictores excellentius prototypon non imitantur, ſed in tabulâ deturpant, falſaque imagine repræſentant: haud diſpari ratione Spalatenſis Præſul, infecto mentis palato, diuinarum Scripturarum mella deguſtauit, & ex his Patriarcharum principem Abraham cordis ſui tabulâ, fallaci ſpiritus priuati penicillo exprimendum propoſuit.

Ea apoſtatarum modeſtia eſt, vt de Dei Spiritu, qui extra Eccleſiam ſit, glorientur omnes, & non niſi cum illis ſe hominibus audenter conferant, *quo-* Eccli. 44.

rum memoria in benedictione est, quique in generationibus gentis suæ gloriã adepti sunt, & in diebus suis habiti sunt in laudibus. Abrahæ filiis opera Abrahæ Dei Filius commendat: quæ quâ animi promptitudine, ac melioris cõuersationis exemplo, aliis imitanda proposuerit persoNatus hic & rediuiuus Abraham, factâ ad inuicem vitæ morumque collatione, facili negotio innotescet. *Abraham multitudinis gentium* apud Ecclesiasticum, *& credentium omnium pater* Apostolico præconio celebratur; cùm quòd omnibus illustre fidei exemplum proposuerit, tum quòd promissam à Deo benedictionem, posteritatis nomine primus acceptauerit. Non perinde nouitius hic Abraham: qui, ne credentium multitudinem in Christo Iesu per Euangelium gigneret, quos priùs congregauerat, dispersit: néve vltrà filios Ecclesiæ, cui pridem erat desponsatus, pareret, malignantium synagogam complexus, quasi ad aleæ iactum, de-

Ephes. 4.

sulto-

ſultoriâ leuitate, manſa priùs & remanſa rerum ſacrarum dogmata ad plauſum pompamque compoſuit: dumque alienis auriculis eſcas colligit, *dilexit*, iuxta Regij Pſaltis vaticinium, *maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Abrahæ ſimilis inuentus eſt nemo, *qui legem Excelſi ſeruaret.* Nec ſimilem huic Antiſtitem ætas parentum & noſtra tulit, qui poſt tot felicia Religionis incunabula, poſt tam varias functiones pro domo Dei obitas, poſt tot promiſſa Deo teſte firmata, Excelſi legem eâdem annorum maturitate violaret, dum Eccleſiæ decreta irreuerenter contemnit, in cuius ſinu educari conuenit omnes, qui adultam gloriæ hereditatem aucupantur: quam qui docentem deſpexerit, fidei lucernam ſe abieciſſe demonſtrauerit. *Eccleſiæ iudicium*, docet eruditè Thomas VValdenſis, *ſequi debet Lector Chriſtianus ſub pœnâ perfidię, ſi ad fidem res pertinet; ſub pœnâ contumacię, ſi non pertinet.*

Pſal. 108.

Lib. 2 Fidei doct. c. 21. & 23

Abraham in tentatione inuentus est fidelis.
Non ita reformatus noster Abraham.
1. Tim. 5. Audiat vas electionis Paulum: *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Occupauit illum ab hinc decennium apprehensa tentatio; & solicitatus ab interno spiritu ad schismata, idola, luxum & Venerem, cur cum Abraham fidei scutum non opposuit? cur gladium spiritus non strinxit? cur salutis galeam non induit, & ignea nequissimi tela extinxit? Perceperat iam aliquamdiu ancillam Agar cùm suo Ismaële graui conflictu altercantem, carnem scilicet aduersus spiritum assurgentem; cur blandientis lenocinia in ipsas medullas admisit, & velut sal infatuatum se hominibus conculcandum præbuit? Esto, tentauerit illum præstantioris spiritus impulsu Deus, vt modicum afflictus in variis experimen-
1. Cor. 10. tis exultaret dignus Deo, *qui non patietur nos tentari supra id quod possumus, sed facit*

facit etiam cum tentatione prouentum; quò ſcilicet tentatio adeò non obſit, quin cedat potiùs in virtutis & gloriæ augmentum, viamque ad illas communiat; *vt poſſimus ſuſtinere*. Quem autem prouentum & fidem in Spalatenſi Archiepiſcopo tentatio fuerit operata, lippis & tonſoribus notum eſt. Redeo ad Abraham. Hunc *omnium per præputium credentiũ patrem* Paulus facit, quòd Rom. 4. in Gentilibus illuſtre fidei exemplum, ac ſæculorum memoriâ dignum trophæum ſtatuerit: Spalatenſis Abraham, vera inconſtantiæ idea, pernicioſo ſubdolæ defectionis exemplo, mendacis turbæ Babylonicæ pater, fautor, cultorque exiſtit. Ad extremum, Abraham de terrâ natiuitatis egreſſus, domo, agnatis, fortunis omnibus relictis, in eam regionem ſeceſſit, quam qui vt ingrederetur iuſſerat, demonſtraret: Deique iuſſioni, nullâ interpoſitâ morâ, eſt obſecutus. In iſto longè aliter ſe res habet. Nulla hîc aut lex quæ priſtinam

illi dignitatem excuteret ; aut è cælo delata iussio , quæ in aliam regionem mitteret. Exuit eum Primatus honore non vanus durioris sententiæ timor:tumor aliò excussit, & prehensa securitas in eum locum transtulit, vbi Catholica veritas sub modio hactenus delitescens, in Ecclesiæ candelabro non lucet ; & in quo, promissionis Abrahæ factæ spem in semet transferens, Primatum insuper aliquē vel solo perfidiæ patrocinio infallibili euentu affulsurum sperat. Quo fine, vt blandiente osculo Dominum prodat, eiusque sponsam
Eccli. 19. lenonibus mille prostituat, *nequiter se humiliat*, (nihil enim præter summam charitatem pollicitationum minarumque crepidine intextam eructat , eximiam illam quæ Doctorem Gentium Deo commendauit, animi submissionem , & in ministerio quod acceperat solicitudinem in se transumens,) *& interiora eius plena sunt dolo.* Etenim sub amabili veritatis asserendæ pigmento
virus

virus propinat, quò eam propriâ mansione proscribat, dum Romæ nouos aliquot Vulcanos comminiscitur, qui per summam vim innumeros fidei articulos cudant, manifestam falsitatem continentes, qualem esse ait, eumque velut ab igne recèns natum, Catholicam Ecclesiam ipsam Romanam Curiam intelligi, atque in eâ solâ, imò in solo Papâ totum Christi Spiritum residere. Inueterate senex, *numquid Deus* Iob 13.
indiget mendacio tuo, vt pro illo loquaris dolos? Non decent stultum verba composita, Prou. 17.
nec duorum regnorum, Croatię & Dalmatiæ quondam, mox etiam magnæ Britanniæ (ni spe suâ excidat) Primatem, *& Principem, labium mentiens.* Quis hactenus in Ecclesiâ spiritus, præter eum qui ex propriis loquitur, hunc articulum vt abs te asseritur, firmâ fide credendum proposuit? quando, vbi, per quē fabricatus? effare ni erubescis, plurima illa quæ te præcone ad solam Curiam Romanam per summam vim

& iniuriam Ecclesię pertrahuntur, quorum nullam à Christo institutionem habuimus, & quibus animæ fidelium miserabiliter decipiuntur. Quis te præter Ecclesiam audiens, eam à Romano Pontifice turbari, scandalizari, opprimi aut sensit, aut scripsit? Quis doctrinam illius, tamquam quæ à recto tramite deuiet (te oculatissimum Argum excipio) ita planè perspexit? Quis, nisi impurus, tam insulsi oris, vt Babylonis eam nomine obscuret, quę instar ciuitatis ordinatissimæ supra montem positæ abscondi non potest, & aduersus quam ne inferorum quidem portas, quorum fortassis tibi nunc demandata est custodia, præualituras Christus prædixit? Quis verò veterum Catholicorum, quos erroris tui duces impiè proponis, Episcopum particularem primo Ecclesiæ Pastori parem facultate, auctoritate, dignitate constituit? nisi quòd tu catellus omnium minimus, (verum namque de temetipso confiteri veritas ipsa cogit)

git) incondito latratu suscites infernales hos molossos, multis sæculis olim veritatis antidoto sopitos, qui gregem Dominicum lacerent, & luporum rapacitati deuorandum summâ contentione committant. Et quidem nõ ferenda siue impudentia, seu inscitia tua est, quòd D. Cyprianum insani erroris tui socium obtrudis & ductorem, quasi illo præcurrente in hãc Charybdim incideris, quòd is se cũm Stephano Episcopo Romano gubernandæ Ecclesię librã tenere edixerit, & Episcopum Episcoporũ non agnouerit. Exclamem & meritò,

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Proposuisses vtinam B. Cyprianum, normam; regulam, & exemplar ad imitandum! quomodo eum toti Ecclesiæ proponere S. Augustinum ex fide affirmas; euitasses exemplo Cypriani, proprij spiritus fallax decretum, & ad petram Ecclesiæ paruulos, hoc est insensatos adfectus tuos, allisisses. Tenuisses illius impulsu libram Ecclesiæ

cum Romano Pontifice: at non foris.
1. Cor. 5. *Quid enim mihi*, inquit Apoſtolus, *de iis qui foris ſunt iudicare?* ſed in ipsâ Eccleſiâ, cuius auctoritas eſt arx fidei; vox verò docentis, regula veritatis.
Matth. 18 *quam qui non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Didiciſſes Cypriani in adſtruendâ ſententiâ ſi quam conceperis à communi Eccleſiæ ſenſu, modeſtiam, & reuerentiam erga Romanum Epiſcopum; quem Epiſcopum Epiſcoporum familiari nomine appellari, ex magiſtro ſuo Tertulliano non ignorabat. Vnde impudenter admodum illius auctoritatem ceu quamdam Ægida ſummi Pontificis regimini Monarchico opponis; & ſolium tuum, æmulatus Luciferi prauitatem, ſuper aſtra, hoc eſt reliquos Eccleſiæ Prælatos exaltare, atque Altiſſimo Præſuli ſimilis fieri contendis. Caue ne grauis illa Iſaiæ comminatio etiam te feriat; ſolet enim delicti paritatem ſupplicij
Iſaiæ 14. par atrocitas conſequi: *Verumtamen ad infer-*

infernum detrahêris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. Numquid iste est vir qui conturbauit terram? terram inquam fidelium, Ecclesiam: *qui concussit regna* Dalmatiæ & Croatiæ? *qui posuit orbem* gregem sibi creditum, *desertum* sine duce, pastore, magistro?

Certè quàm temerè in Patrum monumenta irruas, vnus hic B. Cypriani locus tam infeliciter ex Donatistarum suggestione tractatus, tibi quidem saniora consilia capessenti, aliis verò apud quos eruditionem tuam omnigenam velut nouus histrio in theatrum adduxisti, documento esse poterit. Ad B. Augustinum longè præclariùs de D. Cypriano sentientem, eiusque verba perpendentem, certiori pede eundum tibi fuerat. Præbuisset ille ad singula B. Præsulis verba singula etiam antidota, & iudicij in rebus fidei libertatem, quam Episcopis ab eo concessam gloriaris, plenè didicisses. Ac primum illud

Lib. 3. c. 3 de Bapt. cont. Donatistas.

lud quod *de Episcopo Episcoporum* dixit Cyprianus, ad modestiam illius refert Augustinus, quod tu ad fastum, & singularem prærogatiuam. Cùm enim ille Carthaginensis esset Metropolita, aliis seu suæ seu alterius prouinciæ Episcopis præiudicare noluit. ait enim ad ea verba Augustinus: *Quid mansuetius, quid humilius?* Illud verò *de libertate Episcoporum in iudicando*, ad illas quæstiones doctissimus Pater restringit, *quæ nondum eliquatissimâ perspectione discussæ sunt.* & addit: *Nouerat enim quantam Sacramenti profunditatem tunc omnis Ecclesia variâ disputatione versabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, vt examinata veritas panderetur.* Eliquatissimam autem perspectionem, priusquam Episcopis libertas nimiùm abundandi in sensu suo indulgetur, intelligit vniuersæ Ecclesiæ concordissimam auctoritatem, seu plenarij Concilij definitionem, cui sine dubio cessurum fuisse Cyprianum, prout omnem Ec-

clesiæ filium & sobriè sapientem cedere conuenit, palàm affirmat. Illud ergo vnum te considerare oportuit, quod etiam Donatistis idem Augustinus considerandum exhibuit: *Si auctoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam in vnitate seruandâ, quàm in Ecclesiæ consuetudine mutandâ.* Iam verò tam ea quæ decem voluminibus adhuc parturis opinionum portenta, quàm quæ in profectionis tuæ consilio enixus es, eliquatissimâ veritatis perspectione, Conciliorumq; auctoritate olim compressa, definita, excussa. sic vt asserta per Cyprianum iudicandi libertas, nec tibi, pace tuâ dixerim, neque inferiori Episcopo valeat patrocinari, cùm eam ad illud tempus B. Augustinus referri doceat, *in quo quæ ab illis* (Episcopos puta) *tractabantur, nondum declarata sine ambiguitate hauriebantur, sed adhuc clausa magno molimine quærebantur.* Quod sanè de hac nostrâ ætate dici nullâ ratione poterit, quâ, si aliàs vmquam,

Suprà lib. 6. c. 7.

quam,

quam, eliquata, & iudicio Ecclesiæ terminata quæuis Fidei controuersa habemus; in quibus sententiam propriam, vti facit Archiepiscopus Spalatensis, præcipitare, summæ temeritatis & indomitæ insaniæ est.

Et quoniam ad veterum Ecclesiæ Doctorum testimonia calamum euocauit, sequar libens præeuntem; non tamen, vt in Cypriano ille facit, obliquo, sed directo tramite. nam veluti in eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertam: ita ex iisdem siue Scripturarum siue Patrum testimoniis firmatur à Catholico lectore veritas, quam in sensu suo nimiùm abundans apostata, hæreticus, vel schismaticus infirmabit, quassabitque. Cuius quidem rei causam arbitror, quam in seipso iuuene eloquentiæ & Philosophiæ cognitione inflato reprehendit S. Augustinus, præsumptionem & superelatum sensum, qui primi hominis lapsum & humani generis ruinam adtulit.

Lib. 3. Conf. c. 5

tulit. *Nam illa*, inquit, Scripturam intelligens, *erat quæ crescebat cum paruulis. Sed ego indignabar esse paruulus, & fastu turgidus mihi grandis esse videbar.* hinc enim in Scripturis diuinis, quæ paruulorum pedibus lucerna sunt, nihil videbat, neque intrare ad eas poterat. Deprehendebat namq; in iis *rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis.* Ipsi etiam sancti Patres verecundè & discretè adeundi. quædam enim dogmaticè, nonnulla in contentione & certamine ab iis scribuntur: quorum ambiguitas si qua emergit, non vnius alicuius, sed Ecclesiæ auctoritate tollitur; quâ velut illustri & certo medio veritas ex ipsis fontibus elicitur, & sine quâ Fontium nomen ad falsitatis perfugium simulatè rapitur.

Quòd verò seriùs ad hos sanctorum Patrum fontes accesserit, eorumque lectione pro regimine tam suo quàm suo-

ſuorum cœperit in vitæ coronide delectari *M. Antonius*, nemo Catholicorum miratur. quin indignamur potiùs, quòd contra Apoſtolicum conſilium Deo militans adeò negotiis ſe implicarit ſæcularibus, vt Eccleſiæ magiſtros & Paſtores, qui, vt loquitur Irenæus,
Li.4.c.43 *cum Epiſcopatus ſucceſsione acceperunt chariſma certum veritatis*, neglexerit. Quo factum, vt ſacrorum ſtudiorum intelligentiam, quod longè aliter Baſilium & Gregorium Nazianzenũ præ-
Lib.2.c.9 ſtitiſſe memorat Ruffinus, non ex maiorum ſcriptis & auctoritate, ſed ex propriâ præſumptione hauſerit, eamq́ue nunc ſine patre aut teſte, ad nouitios aliquot, quos ceu fungos vna ignorantiæ nox peperit, tranſmittere feſti-
Lib.2.de Theolog. net. *Nobis ſatis ſuperq́ue eſt*, vt cum Nazianzeno loquar, *quòd nemo ex his qui diuino numine fuêre afflati, ex Patribus illis & magiſtris noſtris, hanc* illius de Eccleſiæ Monarchiâ, & deliquio in rebus fidei, Pontificis primatu, Epiſcoporum præ-

 468

prærogatiuâ, hæreticorum conuenticulis, Regum auctoritate, *sententiam hactenus vel pronuntiauit, vel pronuntiatam approbauit.* Itaq; *sequentes*, cum B. Athanasio, *sanctorum Patrum confessiones, quas loquente in eis Spiritu sancto protulerunt, & intentioni eorum æquis vestigiis inhærentes*, profitemur Ecclesiam Romanam eam esse, extra quam neque fides, neque veritas, neque Spiritus Dei, neque Scriptura, neque salus ipsa reperitur: adeoque veram Ecclesiam, vel Protestantium confessione cēseri. Cùm enim illi Baptismum hactenus legitimè apud Catholicos ministratum fateantur; & consequenter doceant, eum non nisi per legitimos veræ Ecclesiæ ministros legitimè conferri, erit Romana Ecclesia ipsorum testimonio vera Ecclesia; eaque, quia plures Christus non habet, vnica, Catholica, & Apostolica: neque enim Ecclesia fuerit, quæ his notis non illustratur. Hæc est, eaque sola, in quâ Prophetiæ veteres impletæ,

In epist. ad Syn. Nicæn.

in quâ omnium gentium communio, Episcoporum perpetua successio, & indeficiens fidei propagatio conseruatioque existit. huius auctoritatē hæreses quæcumque damnatæ: hæc Episcopos omnes totius orbis certissimo successionis ordine confirmat: huius singularis prærogatiua est, non posse errare in fide, vt cuius petra immobilis est ea ipsa, quam nulla persecutionis tempestas, nulla hæresium portenta hactenus labefactarunt. Hanc B. Petro primùm, & per Petrum legitimâ successione eamdem dignitatem obtinenti, Christus regendam pascendamq; commisit. Ille factus Ecclesiæ petra, dicente Domino, *Tu es Petrus*; eiusque nominis etymon exponens, addit, *Et super hanc petram*, id est, te ô Petre, *ædificabo Ecclesiam meam*. Ædificatur autem Ecclesia, dum vel collecta pascitur, docetur, regitur; vel docenda & pascenda colligitur. Et quamuis in hoc genere ædificandi, ceteri Apostoli, vti post illorum

Matth. 16

lorum tempora inferiores Episcopi & Pastores, operarij sint & sapientes architecti, præcipuus tamen paterfamilias agnoscitur Petrus: ceteri columnæ, Petrus fundamentum est cui illi innituntur.

Quæ omnia luculentissimè ex fontibus Scripturæ & Patrum ad quos prouocat, degustare potuit Archiepiscopus Spalatensis, si in quo hauriret adtulisset. Quod ipsum etiam nō aliunde quàm ab ipsis fontibus petendum fuit, è quibus vnus B. Athanasius sub finem libri quem De incarnati Verbi mysterio euulgauit, elegantissimo testimonio docet: *Ad Scripturarum indaginem*, quod etiam in lectione S S. Patrum momentum habet, *verumq;ue intellectum, opus esse vitâ probâ, animo puro, & virtute quæ secundùm Christum est.* & subdit: *Nam sine purâ mente & Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit Sanctorum verba.* Hoc apparatu ad ipsas fontium scaturigines tibi descendendum erat, &

plenissimè inuenisses quod desiderabas. vidisses apertioribus oculis, quod tamen hactenus vidisse te diffiteris, doctrinam illarum Ecclesiarum, si modò hoc nomen cōciliabula deprauatorum aliquot merentur, quæ à Romanæ Ecclesiæ Doctoribus ceu putida sarmenta reijciuntur, longè à verâ primitiuæ Ecclesiæ doctrinâ dissidere, meramque Antichristi synagogam in iis esse constituendam. Quæ enim prioribus sæculis circa Ecclesiæ corpus hæresis ceruicem extendit, quæ porrò diuini Spiritus gladio recisa vnquam, quam noui huius æui cacangelici, præsides & patroni dissectæ illius sectæ, quam tu etiam tanto conatu nouus Britanniæ accola sectaris, non excitarint? Promittebant infantibus, Christianis parentibus progenitis, absq; omni Baptismo æternam salutem Pelagiani; promittunt & Nouatores. Apud Manichæos salutare Baptismatis lauacrum inutile habebatur, arbitrij eneruabatur libertas; ineui-

tabilis

tabilis peccati fomes, qui ſcintillas & flammam efflaret, aſſiduè in homine accendebatur; & ſumma illa æternaque bonitas Deus ſcelerum quorumuis pronuntiabatur architectus: nónne ſimilia his monſtra diu antè poſtrata, ſoloque illiſa ſuſcitauit, & in orbem reuexit ſubdolus animarum venator Caluinus, & ante eum pleraque excucullatus Lutherus? Et vt omittam alios; quid Donatum tam numeroſam multitudinem ſub rebellionis perfidæ ſignis educere coëgit, quid Græcos ante annos pænè ſexcentos, Romanæ Eccleſiæ iuſſa contemnere, quàm ementiti, eique pauciſſimi abuſus, Clero & Romanæ Eccleſiæ (ſiue verè ſeu falsò) adſcripti? Eadem res noſtri temporis apoſtatas à Clero & Eccleſiâ nefario ſchiſmate ſeiunxit, & maiori ſcelerum catenâ irretiuit, dum iudicio illius contempto, voce damnatâ, auctoritate conculcatâ, nouum indies Euangelium cudunt, & in errorum abyſſum ac mille laqueos in-

cidunt, vitæ libertate inescati. Et te quoque votorum vincula disrumpere, & liberiore conuersationis genere frui, sanctæ Ecclesiæ ruinam quam à Romanâ Curiâ sustinet, ac Romani Papæ fastuosam maiestatem, vt vocas, tectamque & tuo splendore illustrandam veritatem, denique Catholicæ & doctrinæ & disciplinæ occasum impulisse, facesque fugæ subdidisse audes profiteri. Nos verò è conuerso æstimamus iterùm cum B. Cypriano, *bonos de Ecclesiâ discedere non posse.* & vt alio loco idem Doctor, *Licet videantur in Ecclesiâ esse zizania*, inquit, *non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra; vt quoniam zizania in Ecclesiâ esse cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus.* monet autem consequenter, & vt illius monitis aurem accommodes, interiore cordis adfectu hortor: *Nobis tantummodò laborandum est, vt frumentum esse possimus; vt cùm cœperit frumentum horreis Dominicis condi, fructum*

Lib. De vnitate Ecclesiæ.

Citat August. li. 2. cōt. Cresconium, cap. 54.

ctum pro opere nostro & labore capiamus. Nónne in magnâ Ecclesiæ domo vasa hæc in honorem, & alia in contumeliam agnoscit Vas electionis? Non rapit ventus triticum, nec arborem radicatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, turbinis incursione arbores inualidæ subuertuntur. Despumat aqua commota sordes, & purior demum post agitationem euadit. Summa laus est à constantiâ non diuelli; & inter medias vitiorum flammas constitutum non aduri. Hęc te olim solicitum pastorem laus apud Deum & homines manebat: tui muneris erat, quod à pastoribus Israël per Ezechielem Deus exquirit, gregem tibi commissum constanter pascere; quod infirmum experiebaris, consolidare; quod ægrotum, sanare; quod confractum, alligare; quod abiectum æstimabats, educere; quod perierat, quærere. *Jam verò dispersæ sunt oues Domini, eò quòd non esset Pastor, & non erat qui re-* Ezech. cap. 34.

quireret. Propterea pastoribus à grege fugientibus tremendum illud væ denuntiatur, *Ecce ego ipse super Pastores*, inquit Deus, *requiram gregem meum de manu eorum*. Ideoque non sine ratione *beatum* edixit Ioan. Fischerus Episcopus Roffensis *illum, qui etiam de minutissimo grege in die Domini aptè poterit respondere*. Viden' igitur quàm præposterè de libertate nouitiâ glorieris, qui satanicis compedibus irretitus, innumeris te erroribus mancipasti. Neq; enim maiorem animæ pestem censuit B. Au-
Epist.66. gustinus, quàm libertatem erroris. *Illa autem quæ sursum est Ierusalem, verè libera est, quæ est mater nostra*. nempe Eccle-
Galat.4. sia Christiana per Saram veteris Testamenti adumbrata, & Synagogæ seruili quã Agar figurauit opposita, ea est quæ sursum regitur, suamque in rebus cælestibus perfectioné & conuersationem collocat, spirituali pace nomine Ierusalem denotatâ abundat; & ex sterili gentilitate collecta, materque filiorum

effecta, libertatem habet, quæ non modò vitiorum, cupiditatum, & aduersitatis ingruentis seruitutem excludat, sed quæ etiam ex charitatis radice progenita, omnem timorem foras emittat, Deoque in spiritu & veritate seruiat: cælestem paulò pòst libertatem, quâ omnibus tum animi tum corporis ærumnis eximatur, adeptura. quæ quidem libertas non nisi in Ecclesiâ, & apud filios illius, reperitur; de eaque tibi Ecclesiæ Pastori gaudendum erat, neque quidquam cum Apostasiâ infami commune habendum.

Ceterùm à prælibatis Fōtibus longiùs digressus, ad eosdē te reuoco *Marce Antoni.* & quomodo olim *à tenebris Pelagianis* B. Augustinus, ita à nouitiis, & in cerebro tuo natis opinionibus, *ad Catholica lumina prouoco:* & quàm parcè oculos ad hos direxeris, quàm sobriè labia prolueris, luculenter demonstro. Non attingam autem illa quæ sparsim & velut in generali, sine teste, exemplo,

adeoque fide non ſanâ, de erroribus cùm Sermonum Quadrageſimalium-que libris inſparſis, tum in diſciplinæ Eccleſiaſticæ regiminiſque ſpiritualis normâ vſitatis, adduxiſti. ea dumtaxat his fontibus purganda ſuſcepi, quæ ſingulari ſpurcitie Eccleſiæ corpus inficiunt; cuius incolumitati tuendæ pro muneris etiam noſtri debito omnem operam promptè impendo.

Tu igitur, ſi ſanctorum Patrum confeſſioni æquis veſtigiis inhærere mens fuit, cur eorum auctoritati in his in quibus nunc hallucinaris, non es obſecutus? cur ſopita toties figmenta protrudis, & ne furori tuo minùs ſatisfactum videretur, ad blaſphemiam verba componis? Clamas Romanam Eccleſiam circa fidei dogmata magiſtram eſſe incertam, mendacem, & diſſectam; neque ampliùs Chriſti vineam, niſi ad inebriandum Noë plantatam, iamque per Romanos Pontifices velut conſtupratam. Quod ſi verum cenſes, dic ſodes,

des, quæ ergo te Ecclesia peperit? quæ Episcopum constituit? quæ Sacerdotis honore auxit? Castáne, an meretrix te enixa est? Si illa iam erat vera Ecclesia ante annos viginti, quando Episcopatum desiderasti;& pro hæretico habendus es, quòd eius gremio te seiunxeris: si meretrix, spurius es, ex meretrice natus. *Romanum Pontificem Ecclesiæ Pastorem non agnoscis: cuius ergo auctoritate Spalatensem Cathedram occupasti? dicis enim te Episcopum in Ecclesiâ Christi. quænam illa? númquid eam intelliges cuius membrum erat Spalatensis tua, adeoque non aliam quàm Romanam? In hac sacerdotij functionem, & Episcopalis muneris dignitatem accepisti: hæc te fouit ab infantiâ, salutaribus vndis ablutum confirmauit, manus imposuit, honore auxit. Potuisses etiam reclusis serò fontibus,dummodò opportunè accessisses, examussim perspicere, Romanam Ecclesiam eam esse,quam *columnam & firmamen-* Ephes. 4.

mamen-

mamentum veritatis insigni elogio Apostolus depingit: omnesque omnium ætatum sectas, quantumcumque dissectas, ad hanc ceu Lydium lapidem allisas: omnes Ecclesiarum omnium Pastores & Doctores, quibuscumque perturbatæ Religionis difficultatibus enodandis, huius præsidium falli aut fallere nescium, postulasse. Vis vt exemplis rem illustrem? Polycarpus D. Ioannis discipulus, quæstionem de Paschate cum Aniceto Pontifice Romano ex Asiâ veniens communicabat. Huic ætate proximus Irenæus, è Galliis à Romanâ Ecclesiâ Catholicæ doctrinæ successionem contra sui temporis Valentianos

Lib. 3. c. 3 efflagitat. *Ad hanc enim Ecclesiam*, ait, *propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, id est, eos qui sunt vndique fideles.* quo quid melius, vel apertius dici potuit? In Africâ

Lib. De Prescript. Tertullianus, *A Romanâ*, inquit, *Ecclesiâ præstò est nobis auctoritas statuta.* Ab hac etiam auxilium non semel exposcit

diuus

diuus Cyprianus scriptis ad Cornelium Pontificem litteris, & *ad Romanam Ecclesiam perfidiam accessum habere non posse*, profitetur. Diuus etiam Ambrosius, *In omnibus*, ait, *Romanæ Ecclesiæ formam & typum sequimur*. laudatq; fratrem suum Satyrum, quòd in externâ regione noluerit Sacramentis communicare, priusquam Episcopum percontaretur, *an cum Episcopis Catholicis, id est, cum Romanâ Ecclesiâ conueniret*. Ad hanc D. Hieronymus prouocat, datisque ad Damasum Papam litteris, dicit: *Ego beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* & post nonnulla: *Qui tecum non colligit, dispergit: qui Christi non est, Antichristi est.* & aduersus Ruffinum: *Si Romanam fidem suam dicit, ergo Catholici sumus.* Negat autem hanc fidem *M. Antonius de Dominis*, dum illius petram & cathedram negat; ergo diui Hieronymi censurâ Catholicus non est. Consociari recusat Damasi successori

Libro 1. Epist. 3.

Epist. ad Pammachium.

Serm. De obitu fratris.

Apol. 1.

ſori Paulo V. Pontifici; ergo non Chriſti, ſed Antichriſti, B. Hieronymo eſt. & hoc adeò verum exiſtimarunt veteres, vt Ricemer Gothus, qui & Arrianus, ad Ligures ſcribens ita colligat: *Si eſt Catholicus, eſt & Romanus.* Et hæc quidem pauca è primis priorum ſæculorum fontibus pro infallibili Eccleſiæ magiſterio collegiſſe ſuffecerit, vt quorum doctrinam hodie ſemperque per ętates omnes, eadem Eccleſia amplectitur & veneratur.

Venio ad illius viſibile caput Romanum Pontificem, quem collegam, comminiſtrum, fratrem Epiſcoporum vocas. Annuo, ſi doctrinę communionem adſpicis; neque quiſquā inficietur Chriſtiana hæc nomina: ſi verò muneris poteſtatem inſpicis, manifeſto errore inuolueris. quem vt tandem etiam eluas, fontes recludam: ſequere. Primùm autem delibandos tibi propono illos, qui Romano Epiſcopo ceu legitimo diui Petri Apoſtolorum Principis ſucceſ-

ſori,

ſori, primatum in Eccleſiâ deferunt, (*Chriſtum* namque *ouium ſuarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus commiſiſſe*, diſertis verbis Chryſoſtomus demonſtrat) quorum omnium velut anteſignanũ tibi iterùm ſtatuo, magnum illud Africæ lumen Cyprianum. hic dum vnitatem ab Apoſtolo commendatam expendit, dicit: *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & Eccleſia vna, & Cathedra vna, ſupra petram Domini voce fundata.* Dein' alio loco, & occaſione, quorumdã ſchiſmaticorum abiurationem eâ tempeſtate vſitatam recenſens, hanc illius formulam inſinuat: *Nec ignoramus vnum Deum eſſe, & vnum Chriſtum Dominum, & vnum Spiritum ſanctum, & vnum Epiſcopum in Eccleſiâ Catholicâ eſſe debere.* Hunc autem vnum paucis antè diebus profeſſi erant, Cornelium Romanæ Cathedræ clauo aſſidentem, vocantes eum *Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſię.* Quæ omnia iterùm longè vberiùs libro De vnitate Eccleſię inculcat,

Lib. 2. De Sacerdot.

Lib. 1. Epiſt. 8.

Lib. 3. Epiſt. 7.

cat,

cat, vbi Cathedræ vnitatem probaturus, oſtendit *Eccleſię corpus eſſe vnum in Epiſcopatu vno, cuius à ſingulis in ſolidùm pars tenetur, & vnitatem ſeruari in origine, quia vnum eſt caput & origo vna.* Cypriano Auguſtinum, quo nihil doctius habuit Latina Eccleſia, iungimus, eadem luculenter aſſerentem. Dum namque aberrantem amicum ad Eccleſiæ gremium reuocat, *non eſſe dubitandum*, ſcribit alibi, *in illius Eccleſię nos condere gremio, quę ab Apoſtolicâ Sede* (vtique Romanâ) *per ſucceſſiones Epiſcoporum culmen auctoritatis obtinuit.* En quomodo in Romani Pontificis ſucceſſione culmen auctoritatis conſtituat, addens: *Cui nolle primitias dare, vel ſummę profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Videat nunc Catholicus Lector, quo loco apud B. Cyprianum & Auguſtinum habitus fuiſſet nouus hic tympanotriba Spalatenſis, qui inani quadam logomachiâ Titanum temeritatem æmulatus, cælo manus inferre non vere-

tur,

tur, ipſamque Fidei Petram oppugnare, agglomeratis inanium verborum procellis contendit, *quam* vtique *ſuperbæ non vincunt inferorum portæ*, vt ex Chriſti verbis deſumpſit citatus Auguſtinus. Qui etiam aduerſus Pelagianâ labe infectum Iulianum diſſerens, Innocentium Romanæ Eccleſiæ præſidentem aliis Patribus annumerat: *Cum his* inquit, *conſideat Innocentius, etſi poſterior tempore, prior loco.* Idem ipſe quamuis Epiſcopus longè doctiſſimus, libros ſuos quos contra Pelagianos conſcripſerat, ad Bonifacium Papam mittit, & dicit: *Communis eſt omnibus nobis qui fungimur Epiſcopatus officio (quamuis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio) ſpecula paſtoralis.* Quid ad hæc *Marce Antoni?* Auguſtinus affirmat in officio, curâ, & ſpeculâ paſtorali primatum tenere Romanum Pontificem: tu verò vſurpatam, fictam, faſtuoſam, nullam illius maieſtatem adſeris. Auguſtinus etiam Epiſcopus ſcriptorum & eruditionis

Lib. 1. cót. Iulianũ.

Lib. 1. cót. Parmen. c. 1.

famâ celeberrimus præeminentiam agnoſcit celſioris faſtigij: tu autem, cuius ne quidem nomen extra Dalmatiæ fines vulgatum antehac fuit, collegam te facis,& ſodalem.Ignoſco.necdum Fontibus labia prolueras, necdum ea cum B.Auguſtino tibi ſocietas interceſſerat, vt ex eo intelligeres, *Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum; & quamuis diſtet Cathedrarum gratia, vnam tamen eſſe martyrij gloriam.*

Lib.2.c.1. De Bapt. cõt.Donatiſt.

Hîc mecum obſerua Romanę Cathedræ gratiam præeminentem. Sanè in causâ fidei principatum iudicandi,docendi, definiendi tenere Romanum Pontificem, cũ veteribus ipſis Catholici Imperatores ingenuè teſtati ſunt; ad quos vt mecum progrediare, manum porrigo. Arnobius vetuſtiſſimus ſcriptor, *vniuerſa flumina in deſerto huius ſæculi benedici vſque hodie à Petro* ſcribit, *& ipſum eſſe exitum aquarum in ſitim, ita vt qui foras ab Eccleſiâ Petri exierit, ſiti pereat.* Haud aliter Concilij Mileuitani

In Pſ.106

Patres

Patres Innocentium Pontificem compellarunt, vt Pelagianos iam Carthaginensis Concilij decreto damnatos, suâ etiam sententiâ condemnaret, hanc rationem subiicientes: *Arbitramur enim auctoritati Sanctitatis tuæ de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, faciliùs eos qui tam peruersa & perniciosa sentiunt, esse cessuros.* Quibus verbis & singularem ad comprimendas hæreses auctoritatem in Romano Pontifice, eamque Conciliis potiorem agnoscunt: atque illius robur è diuinarum Scripturarum exundante copiâ petitum, hoc est, iuris esse diuini affirmant. Addam magnum Magni illius Basilij testimonium. Ille tumultuantibus in Oriente hæreticis, quomodo hac etiam ætate noua monstra sibi inuicem impingunt Cadmei isti fratres, monet per litteras Athanasium, *vt ad Romanum Episcopum scribatur, qui suâ auctoritate in istâ causâ vsus, viros eligat idoneos, qui seditiosos reprimant.* Causam verò in aliâ

Vide August. Epistolâ 92.

Basilius Epist. 52.

Epiſtolâ, per Sabinum Diaconum ad Pontificem redditâ, expreſſit; *Quia*, inquiens, *pietati tuæ datum à Domino eſt, quod adulterinum eſt à legitimo & puro diſcernere, ac fidem Patrum ſine vllâ ſubtractione prædicare.* Epiphanius quoque hîc ſe ſiſtit, dum ſeriem Romanorum Pontificum contraCarpocratianos pro-
Hæreſ.27 ducens, addit ſe ad hoc impulſum, *eò quòd per hos ſemper, quod in fide manifeſtum & certum eſt, oſtenditur ac declaratur.* Quid ſi Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, & ſexcentos alios in aciem produxero, ſermo me citiùs quàm teſtimonia deficerent. At non patiar inuictos Cæſares hac in re aquilas non attollere, non explicare ſigna, non prouocare vt ſecum poſthac idem ſentiant Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Reges, & confœderati Ordines Belgarum. Prodeat omnimodæ pietatis ſatellitio
Tom. 2. Concil. in præamb. Concil. Chalced. inſtructus Valentinianus Tertius, qui per Epiſtolam Theodoſium Iuniorem inſtruit, *Romanæ ciuitatis Epiſcopo, prin-*

cipa-

patum sacerdotij super omnes, Antiquitatem contulisse. Comitetur Valentinianum Marcianus, hac voce Leonem Papam compellans: *Tuam sanctitatem, principatum in Episcopatu fidei obtinentem, inuitamus atq; rogamus ad celebrandam Synodũ te auctore.* Subsequatur hos Iustinianus, magnus ille Legum arbiter, asserẽs, *neminem esse qui dubitet, summi Pontificatus apicem apud Romanum Pontificem esse.* Claudam hoc totum vnâ illâ & communi omnium Episcoporum voce in Chalcedonensi Concilio pronuntiatâ, *Primatum omnem & honorem præcipuum Romano Episcopo deberi.*

Constit. Nouell. 131.

Act. 16.

Agnouerunt omnes hi in Ecclesiâ, quæ vna domus, ciuitas, nauis, ac vnum corpus in Litteris diuinis nuncupatur, regimen Monarchicum: quod frustrà in Aristocraticum (vt hac ratione non per ostium, sed aliunde te ingeras) commutare laboras: quasi etiam tuæ solicitudini demandata foret vniuersalis Ecclesia. Cur non eamdem Alexandri-

no Epiſcopo demandatam, B. Hieronymus cenſuit? de quo tamen in Epiſt. ad Pammachium, *Reſponde*, inquit, *mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet?* Similiter D. Chryſoſtomus apud Innocentium I. per litteras queritur de Theophilo vrbis eiuſdem Patriarchâ, quòd cùm eſſet in Ægypto, iudicium ferre præſumeret de illis qui morabantur in Thraciâ. Quid fuit, cur minus ſemper auctoritatis Ariminenſi Concilio, cui DC. Epiſcopi interfuerunt, omnes Catholici detulerint, quàm Conſtantinopolitano priori è centum dumtaxat & quinquaginta Epiſcopis coacto, niſi quòd hoc præ illo Romani Pontificis, in quo ſumma Eccleſiæ poteſtas reſidet, auctoritate indictum, celebratum, firmatumque fuerit? Vt enim inferiores Epiſcopi definitas habent regiones, ita & poteſtatem: quia verò Pontifex Romanus toti Eccleſiæ præeſt, totâ etiam, vt ſic dicam, poteſtate præ-

præfulget, *semperque*, verba sunt S. Augustini, *in Romanâ Ecclesiâ viguit Apostolicæ Cathedræ principatus*. Epist. 162

Viden' quòd nullæ hîc errorum incudes, nullus nouorum fidei dogmatum contra diuinam institutionem, & Orthodoxam doctrinam Conciliorum & Patrum, priscamque ac receptam Ecclesiæ consuetudinem partus, quem tamen Rom. Pontifici ita subdolè supponis. Cuius calumniæ causam mihi attigisse videtur Comicus, dum ait: *Qui semel verecundiæ fines transgressus fuerit, eum oportet gnauiter esse impudentem*. Indubitatum fuit apud omnes, soli Petro, non aliis siue Apostolis, siue Principibus, Tiberio, Pilato, Herodi, à Pastorum Principe dictum, *Pasce oues meas*. Ioan. 21.
& : *Tu es Petrus, & super hanc petram* Matth. 16
ædificabo Ecclesiam meam. iterùm : *Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*. Luc. 22.
denique : *Tibi dabo claues regni cælorum*. Matth. 16
quâ Domini voce Apostolorum Principi curam Ecclesiæ commissam, vni-

uersa Antiquitas colligit. Episcopos, non Principes sæculares posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei: neque inter eos quos fidelibus suis præesse Christus voluit, Regum memoria celebratur, sed Prophetarum, Apostolorum, Pastorum, Doctorum. Hos velut operarios in vineam à Domino missos, & diuinorum mysteriorum dispensatores omnibus sæculis reputarunt Christiani Imperatores, Reges, Principes, neque se à iugo Apostolicæ iurisdictionis exemerunt. Hinc olim Constantio Imperatori aduersus S. Athanasium debacchanti, Cordubensis Episcopus Hosius per Epistolam significabat: *Ne te misceas Imperator rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Pari modo, caussâ non dissimili, eidem respondit Leontius Tripolitanus Episcopus, vt videre est apud Suidam; eumque quòd de rebus fidei Dei cognitionem sibi arroga-

Ephes. 4.

rogaret, Antichristum pronuntiauit nominatus Athanasius. Sed & B. Ambrosius Valentinianum Iuniorem his verbis præsens compellabat: *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere,* &c. *Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ.* & apertiùs in eadem Epistolâ: *Quando audisti clementissime Imperator in caussâ fidei laicos de Episcopo iudicasse?* & Epist. 32. Valentiniani Senioris lege definitum affirmat, *in caussâ fidei, vel Ecclesiastici ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis.* Quin si vlli in orbe Christiano, certè Anglorum Reges olim Pontificem Romanum non modò regiminis Ecclesiastici Primatem, vniuersalis Ecclesiæ Patrem, Sacerdotum Principem, Petri successorem, Orbis Episcopum professi semper & protestati: sed insuper regnum suum eidem vectigale fecerunt, vt fusè persequitur Polydorus Virgilius, qui & ipse

In Epist. ad solit. vit. agent.

Ep. 33. ad Sororem.

ſacri illius vectigalis domeſticatim collecti quæſturam annis aliquot geſſit, eiusque muneris obeundi causâ primùm in Angliam venit. Si pietatis huius & auitæ Religionis, quam luxuriæ ſpiritus in pleriſque regionibus ita labefactauit, vt ne veſtigium vllum reliquerit, reſtituendæ gratiâ è Dalmatiâ euolarit, ſæuaſque Alpes percurrerit Archiepiſcopus Spalatenſis, vtq; Chriſtianos Principes poteſtatis ſuæ ſceptrum, non ad Eccleſiæ principatum, ſed protectionem dumtaxat extendere, anteceſſorum ſuorũ exemplis, Patrumque Fontibus vbertim ſonantibus doceat, dignam profectò rem præſtiterit, omnemque inconſtantię maculam hac ſpongiâ facilè abſterſerit.

Habes Principatus Eccleſiaſtici indubitatos teſtes: neque deſunt qui in eodem temporalis etiam poteſtatis maieſtatem, non commentitiam, vel vſurpatam; ſed veram, ac tremendam, profligatâ blaſphemiæ tuæ peſte, fortiter pro-

propugnent. Potuiſſem hîc numeroſas Illuſtrium virorum, quos ſæcula priora pepererũt, acies inſtruere: ſed quoniam ſub eruditionis ſuæ vexillis eos in huius argumenti fecundiſſimum campum eduxit nuper Cardinalis Bellarminus, exiguum dumtaxat manipulum è multis euocabo. Ferant hîc primas ſanctiſſima decem Conciliorum decreta, & inter illa Generalis Lateranenſis (quod iure Maximum nuncupatur) ſub Innocentio III. Patriarcharum quattuor, Archiepiſcoporũ ſeptuaginta, CCCC.XII. Epiſcoporum, Abbatum Priorumq; conuentualium DCCC. Legatorum Imperij Occidentis & Orientis, pluriumque Chriſtianorum Regum conuentu celeberrimi, Canon ordine tertius. Hîc poſt nonnulla aduerſus hæreticos ſancita, Summo Pontifici in Dominos temporales poteſtas decernitur, *ſi quando admoniti ab Eccleſiâ, terram ſuam ab hæreticâ fœditate purgare neglexerint.* cui etiam eadem tempeſtate commiſſum,

De poteſtate Pontif. in tẽporal.

missum, post annalem contumaciam, *vasallos ab eorum fidelitate absolutos denuntiare, terramque ipsorum Catholicis occupandam exponere, qui eam, exterminatis hæreticis, sine vllâ contradictione possideant*, &c. Si hanc non agnoscit Ecclesiæ vocem *M. Antonius de Dominis*, vbi obsecro eam reperiet? & si verissimè talis est, cur eam non audit? cur potestatem de temporalibus disponendi, in Sacerdotum Principe per summam temeritatem eneruare contendit? Addam superiori Generali insuper Lugdunense etiam Generale Concilium, anno post incarnatum Verbum M. C C. X L V. qui trigesimus erat à priore Lateranensi, Innocentio I V. præsidente, Balduino quoque Orientis Imperatore, aliisque Principibus considentibus, indictum. vbi ab vniuersâ Ecclesiâ, quam sine dubio conuentus ille augustissimus repræsentabat, in Fredericum II. Imperatorem lata est depositionis sententia: cuius tenorem, quòd æquo videretur pro-

prolixior, studio prætcriuimus. B. Augustinus Concilium Palæstinum quatuordecim tantummodò Episcoporum, vnius Iuliani audaciæ comprimendæ plus quàm sufficiens existimauit; & non valebit tantorum, Episcoporum, Principum, Doctorum, aduersus vnius hominis, qui velut nouus Ismaël è regione fratrum suorum figit tabernaculum, temeritatem sententia? Nondum tamen hîc sisto. Occurrit ecce Leo Isauricus, quondam Imperator, tandem fidelium communione, vectigalibus Italiæ, & per hoc Imperij non contemnendâ portione, auctoritate Apostolicâ quam Gregorius II. exercuit, mulctatus; cuius rei præcones è Græcis Glycas, Theophanes, Cedrenus, inter Latinos Sigebertus circa annũ DCCXXVII. Paulus Diaconus, & alij; factumque Pontificis Episcoporum Synodus probauit. Quid? quòd in Romanâ Synodo, Gregorio VII. Pontificatum obtinente, Henricus IV. Imp. quem Tertium

Lib. 1. in Iulianum cap. 2.

Gen. 16.

titum alij dicunt, & in Claramontano Concilio sub Vrbano II. Philippus I. Galliarum,& à Paulo II. Georgius Bohemiæ Rex anathemate percussus, & Regno Imperioque exutus,testes habemus Sigebertum [a] & Iuonem [b] Episcopum Carnotensem. Quin diuus etiam Bernardus vtrumque gladium Ecclesiæ impartit; spiritualem & materialem: atque hunc non modò pro Ecclesiâ,sed ad nutum insuper Sacerdotis (vtique Principis & Summi) exerendum, mirâ verborum suauitate inculcat. Quid referam doctissimũ illum Saxonem Hugonem Victorinum? *Spiritualis*, inquit ille, *potestas terrenam & instituere habet vt sit, & iudicare habet si bona non fuerit*.Consentit his,vt alios transeam,Doctor Angelicus, Alexandri Halensis magistri sui vestigia æquis passibus insecutus. ita enim scribit: *Potestas sæcularis subditur spirituali,sicut corpus animæ: & ideò non est vsurpatum iudicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporali-*

[a] Circa annũ 1095.
[b] Epist.28
Lib.4. De considerat.c.4.
P. 2. lib. 2 De Sacrã. cap. 41.
2.2.q.60. art.6. ad 3

ralibus. Negat D. Thomas, temporalem Ecclesiastici Prælati potestatem esse vsurpatam; & eamdem in summo Prælato talem, obgannit *M. Antonius* : in quo tamen idem Doctor, occasione haud absimili, vtriusque potestatis, spiritualis & temporalis, apicem sine tergiuersatione vllâ constituit. Parem in eodem prærogatiuam clarissimi Iuris interpretes Bartolus & Baldus agnoscunt, dum in solo Pontifice reside re ius inuiolabile commutandi Imperia, eorumq; Dominos possessionibus, dignitate, ac Principatu etiam ipso, causâ subsistente, priuandi, luculenter definiunt. In hac Conciliorum & Scriptorum luce non est quòd latebras vllas ob nuperum interdictum quæras *Marce Antoni*. concusserit te fortassis paternâ illâ castigatione dignum, fulminis Vaticani fragor; cur Sede, regione, grege, nescio an non etiam Religione, excussit? nisi quòd *superbieris, nolens obedire* summi *Sacerdotis imperio*. quod Mo-

In 2. Séc. dist. 44.

L. Si Imper. c. De legib. §. 4. Baldus in procœmio ff. vet.

Deut. 17.

saicæ

Lucæ 10. ſaicæ legis à Deo præſcriptæ, ac Chriſti voce firmatæ inſtituta meritò habent, æternumque habebunt

—ceu grande nefas, & morte piandum.

Atque hæc pauca breuitatis inſtitutæ ſtudio à me appoſita, elicuit profectionis ſeu defectionis potiùs tuæ malè ſanũ Conſilium, Antiſtes Reuerende: quæ vbi digeſſeris, inferam ſolidiora: neq; enim poterat ſtomachus tuus ſub hæc initia errorum nauſeabundus ſupra vires onerari. Satis ſuperque Catholico inſpectori factum reor, vt Conſilij tui nocte depulsâ, veritas eluceſcat; & quæ in controuerſiam abs te vocantur, Patrum auctoritate commendata firmiter apud eum retineantur. *Deus* autem, quem communibus votis obſecramus, *qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuceat in corde tuo ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, vt abdicatis occultis dedecoris, non ambules in aſtutiá, neque adulteres verbum illius, ſed in manifeſtatione veritatis, commendes temet-*

2.Cor.4.

metipsum ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. hoc eſt enim quod ſingulari adfectu Corinthiis ſuis Paulus Apoſtolus exoptat: idem etiam tibi eueniat, omnes vouemus. Abominabiles Deo ſunt *induti veſte peregrinâ.* hanc exue, vt Sophon.1
Chriſtum iterùm induas. fuge deſertorum Catholicæ Religionis lupanar, noui Euangelij ſteriles virtutibus fructus fucoſque veneranda tua canities refugiat: non te auertat ab vberibus matris Eccleſiæ, ſpectata præcedenti tergo mantica; tuam inſpice. *Quis enim det te* Cant.8.
fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniaris foris? Noli reſpicere poſt ter- Gen.19.
gum tuum, nec ſtes in omni circùm regione, ſed in monte (monte inquam illo Sion, monte Dei, monte pingui & coagulato) *ſaluum te fac.* Confuge ad Eccleſiam, in cuius gremio mori felicius dixit magnus Poloniæ Cancellarius Samoſcius, quàm naſci ab initio. Captiua intellectum in obſequium Chriſti, & *conſi-* Eccli.37.
lij tui, quod in ipſo omni tempore permaneat, Tob.4.

cor tecum statue, priusquam veniat dies illius magna, & suprema trutina minus habentem inueniat. Cogita, quod præclarum illum senem Eleazarum fecisse Machabæorum memorant Annales,
2.Mac.6. *ætatis ac senectutis tuæ eminentiam dignam, atque à puero optimæ conuersationis actus*: illiusq; exemplo blandienti tuæ Agar, *secundùm sanctæ & à Deo conditæ legis constituta responde*: *Non est dignum ætati meæ, neque dignitati, fugere, vt multi adolescentiores*, carnis ærisque sacrilegâ disfibulatione resoluti, *arbitrantes* Marcum Antonium de Dominis sexaginta annorum scientiâ Rhetorem, Mathematicum, Philosophum, Theologum, dignitate Archiepiscopum, *transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam inconstantiam, & modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam & execrationem meæ senectuti conquiram.* Teneant te hominem rectè credentem in Ecclesiâ Catholicâ, tot & tanta Christiani nominis charissima vin-

vincula, quæ B. Augustinum tenuerunt, quæque ille ipse enumerans, ita aduersus Epistolam Fundamenti scribit: *Multa sunt quæ in Ecclesiæ gremio me iustissimè teneant: tenet consensus populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsâ Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine caussâ inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt iam omnes hæretici se Catholicos dici velint.* Ne ergo te excutiant, quæ sanctissimum illum Episcopū tenuerunt. Gloriare potiùs in Domino, non solùm cum doctissimo Hieronymo, *quòd ab ipsis incunabulis Catholico sis lacte enutritus*; verùm etiam cum celeberrimo Basilio, quòd *licet reliqua vita tua digna sit, cuius gratiâ ingemiscas, numquam tamen falsas opiniones de Deo* (eiusque Ecclesiâ)

Epist. ad Pāmach.

Epist. 79.

clesiâ) *habueris*, *neque aliter ſentiendo animi iudicium in fide mutaueris.* Igitur, quod extremum tuæ menti infixum optauerim, cùm *charitatem tuam primam reliqueris*, Apoſtolici conſilij, & ſimul *vnde excideris memor*, dum adhuc
Apoc.2. vitæ ſpes dubia affulget, *age pœnitentiam, & priora opera fac. Sin autem: venio*, inquit Dominus, *tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo.*





EXAMEN *hoc Profectionis Marci Antonij de Dominis, in quo eam esse meram Defectionem & Discessionem, solidè disertéq; ostenditur, dignum est quod typis euulgetur. Actum Antuerpiæ* XVII. *Ianuarij, Anno* M. DC. XVII.

P. Coens S. T. L. Canonicus & librorum Censor Antuerpiensis.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ *Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum est; nequis,* Laurentij Beyerlinck Archipresbyteri Antuerpiensis Examen Profectionis M. Antonij de Dominis quondam Archiepiscopi Spalatensis, *præter Balthasaris & Ioannis Moretorum fratrum voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,* XXII. *Ianuarij,* M. DC. XVII.

Signat.

De VVitte.


LABORE. ET CONSTANTIA.